





8  
B.  $\frac{8}{C}$ . D. 1711, 9  
10 55.  
12  
CONTROVERSIARUM  
JURIS  
SELECTARUM  
DECADEM I.

INDULTU  
ILLUSTRIS JCTORUM ORDINIS  
GODFRIDUS LUDOVICUS  
MENCKEN, D.

ET  
JOH. FRIEDER. LAMPE,  
LIPS.

IN AUDITORIO JCTORUM  
DEFENDENT

AD D. XX. AUGUST. A. MDCCXI.

---

LIPSIÆ,  
LITERIS IMMANUELIS TITII.

110  
12

8

MINISTERIUM  
DES  
INNEREN  
UND  
AUßEREN  
ANERKENNTEN  
HIGIENISCHEN  
ANSTALTEN  
UND  
LABORATORIEN  
DES  
REICHES  
UND  
DER  
LÄNDER



55  
N  
170

V I R O  
MAGNIFICO atq; EXCELLENTISSIMO  
D O M I N O  
QVINTO SEPTIMIO  
FLORENTI RIVINO,  
JCTO CONSUMMATISSIMO,  
POTENTISSIMI AC SERENISSIMI PO-  
LONIARUM REGIS ET ELECTORIS SAXONIÆ HO-  
DIEQUE IN IMP. S. R. I. VICARII IN SENATU AP-  
PELLATIONUM CONSILIARIO SPLENDIDISSIMO,  
SUPREMÆ CURIÆ PROVINCIALIS, ET INCLUTI  
COLLEGII SCABINORUM ASSESSORI GRAVISSIMO,  
NEC NON REIP. LIPSIENSIS PROCONSULI  
MERITISSIMO,  
PATRONO SUO MAXIMO,

PRIMITIAS HASCE STUDIORUM  
SACRAS ESSE JUBET  
JOHANN. FRIED. LAMPE,  
L I P S.

VIR MAGNIFICE  
AC EXCELLENTISSIME,  
PATRONE MAXIME,



Non eo audaciæ progressus ef-  
sem, ut tum decus, tum or-  
namentum omne suum  
primitiis hisce meis Acade-  
micis ex NOMINIS TUI  
EXCELLENTISSIMI,  
iisdem præfixi, splendore &  
auctoritate quærerem, nisi tot luculenta Bene-  
volentia, qua EXCELLENTIA TUA  
me à pluribus annis complexa est, documen-  
ta eome compulissent. Fuit mihi EXCEL-  
LENTIA TUA inter primos suasores au-  
ctoresque, ut ubi Juris sanctissimi studio me,  
naturæ quodam impulsu, consecraveram, vel  
maxi-

55  
maxime in ILLUSTRIS MENCKENII,  
deque Academia nostra tam insigniter meriti,  
scholis juris solidioris sive notitia, sive pru-  
dentia imbuerer; imò nec aliis Consiliis EX-  
CELLENTIA me TUA destituit. Quod  
ergo in gente Israelitica, tot legibus saluberrimis  
divinitus instructa, fieri solebat, ut primitias  
quasvis omnes, quas vel animantium cœtus,  
vel terræ gremium protrudebat, DEO  
sacras esse juberent, idem ex instituto Majorum  
& more seculi nostri mihi facere liceat,  
ut quas nunc in Publicum profero, officii mei  
memor, primitias Academicas, post DEUM,  
EXCELLENTIÆ TUÆ, velut gratæ devinctæque  
mentis tesseram, offeram, iisque ex Nominis  
RIVINIANI radiis velut tutelaribus omne præsidium  
vindicem. Huc accedit, quod tam Illustria sint  
EXCELLENTIÆ TUÆ tum in universam Saxoniam,  
tum in Rem-Publicam Patriam, merita, ut dum  
alii mox reconditam juris eminentioris scientiam,  
mox consulendi prudentiam & judicandi dexteritatem,  
mox vel injustè oppressos, vel Patriæ commodo se  
consecrantes juvandi promptitudinem, mox in justitia  
promovenda ardorem & laborem summum in EX-

) 2


CEL-

CELLENTIA TUA admirantur & cultu con-  
decenti venerantur; ego nec magnitudinem  
meritorum Tuorum satis intellexisse, nec Cli-  
entis partes attigisse, multò minus implevisse  
viderer, nisi publicum venerationis devotissi-  
mæ, qua EXCELLENTIÆ TUÆ devin-  
ctus sum, testimonium extare anniterer. Ac-  
cipe igitur sereniori vultu, PATRONE Sum-  
me, quicquid primitiarum juris offero, eum-  
que Patrocinio Tuo exoptatissimo, Benevo-  
lentiæque Tuæ perenni non dedignare, qui ut  
per EXCELLENTIÆ TUÆ Consilia  
res tum Civilis tum literaria diu vigeat, & RI-  
VINIANÆ Domus felicitas majora in dies  
incrementa capiat, qua obstrictus est animi  
devotione & religione precatur EXCEL-  
LENTIÆ TUÆ MAGNIFICÆ

*devotissimus & observantissimus  
Cultor*

JOH. FRIED. LAMPE.





## CONTROVERSIA I.

**M**aritus nummos Uxoris ea lege accipiens, ut in comparationem immobilium rerum convertat, defuncta uxore nondum impensos lucratur Jure Saxonico tanquam hæres mobiliaris.



Um pecuniam mobilibus rebus accenset *Nov. 22. c. 45. §. 2.* qualitas ejus interire videtur, si eadem ad rerum mobilium comparationem desinetur. Hinc quando maritus pecuniam uxoris ea conditione accipit, ut illam in emtionem prædiorum impenderet, num post fata Uxoris ipsi jus in istos nummos tanquam hæredi mobiliari salvum sit, non frustra disquiritur. Sed non injuria eorum successionem competere marito contenditur *ceu pron. Fac. Jur. Lips. Mens. Febr. A. 1710.* cum destinatio nuda effectui

A 2                      haud

haud mandata rem sua natura mobilem immobilem effingere haud valeat, siquidem & pali, vineæ causa parati, antequam collocentur, fundi non sunt *l. 17. §. 10. & ff. d. act. emt. l. 79. §. 1. ff. d. legat. 3.*

Diff. *CHRISTIN. V. 1. Dec. 212. n. 5. seq. PHILIP. KNIP-SCHILD. d. fideic. fam. nobil. c. 5. n. 72.*

Conf. *CARPZ. P. 3. C. 23. d. 7. n. 5. BERLICH. P. 3. Concl. 30. n. 4. COLER. d. Proc. Exec. Part. 2. c. 3. n. 28. HAHN ad WESENBECK. T. d. rer. divis. & qualit. n. 4. verb. nisi.*

**OBSTAT (1)** *L. 3. §. 6. ff. d. contr. iur. & util. act.* ubi traditur pecuniam pupillarem depositam ad prædiorum comparationem iustam præbere excusationem tutori, cur ex ea sibi non solverit, adeoque usurarum præstationem ex credito suo impetrat tutor, ex quo immobilem esse pecuniam intelligi concludunt. Sed *RESP.* qualitatem pecuniæ ex depositione non mutari & saltem, si desiderio tutoris depromi pecuniam cupientis non fuerit à Prætoze delatum, tutori usuras decerni, cum non per tutorem sed Prætozem steterit, quo minus solutio fieret.

**OBST. (2)** *l. 84. §. 10. ff. d. legat. 1.* quæ evincit, rem certo fundo destinatum, ob destinationis virtutem licet alibi sitam pro existente in fundo haberi, ad eundem modum, quo nummi in certo loco reconditi repositivè ut mutuo darentur, haud existentes pro existentibus agnoscuntur *l. 7. §. 1. ff. d. legat. 3.* Quare destinationem Domini totum negotium conficere, eamque ex mobili etiam immobilem constituere sentiendum sit. Verum *RESP.* quando ea quæ in prædio fundove legata sunt, non nisi perpetui usus gratia in eo existentia, legato contineri, hincque casu res absentes pro præsentibus haberi, quia intentio testatoris & destinatio in actum deducta spectanda. *d. l. 84. §. 10. ff. d. legat.*

*legat. l. l. i. C. d. verb. & rer. signif.* Destinatio autem mera de emenda rei immobili pro pecunia, in actum haud deducta, rem natura sua mobilem in immobilem juris intellectu haud convertit. *d. l. 17. §. 10. ff. d. act. emt.*

**OBST.** (3) quod merces etiam sua natura mobiles *l. 66. ff. d. V. S. commutatae* pro tabernae accessione reputentur, & jure immobilium censeantur *l. 34. ff. d. pignor. RESP.* Illas instar accessionis in taberna esse, & cum universa taberna pignori obligata est, favorem commerciorum efflagitare, novas merces in obligationem pignoratitiam concedere, singulas verò merces tanquam mobiles indolem suam propterea non abjicere aut exuere *a. l. 66. ff. d. V. S. l. 76. ff. d. Judic.*

## CONTROV. II.

### Advocati & Procuratores Judiciales Honorarium apud eundem Judi- cem, coram quo causa ventilata, à Principali jure petunt.

**A**Dvocatis & Procuratoribus Judicialibus Honorarii ex-actio competit, eaque apud Judicem, coram quo controversia pendet, fieri potest, quamvis partes alibi suum habeant domicilium, id quod fori multis in locis recepit observantia. (a) Hoc verò ex connexitate causae haud improbabiler deducere licet, nam honorarii determinatio ad judicem, apud quem causa ventilatur, pertinet, *a. c. 11. §. Assessorum. §. Notarium. d. Rescript. in 6.* tanquam principalis negotii accessio *d. c. a. O. C. P. 2. T. 9. §. 5.* illiusque decisio

facillimè ex actis in eo foro confectis petitur. *a. l. 2. C. ubi d. ratioc. agat. j. l. 10. C. d. judic. (b)*

(a) *GAIL. L. 1. Obs. 1. n. 37. THOM. CARLEVAL. d. Judic. T. 1. Disp. 2. n. 175. idem supr. Cur. Prov. Lips. observantia probat.*

(b) *Diff. FELIN. ad C. f. X. d. foro compet. n. 19.*

*Conf. GAIL. l. c. CARLEVAL. d. l. n. 176. MEV. P. 1. Dec. 234. n. 7. ita pron. F. J. L. Mens. Jun. A. 701.*

**OBST. (1)** Quod fori competentia rectius ex loco contractus derivetur, in foro autem, in quo causa pendet, litigantes ad solutionem honorarii non obstricti videantur *a. l. 70. ff. d. judic. l. 21. ff. d. O. & A. RESP.* Non tantum presentibus sed etiam absentibus partibus in loco iudicii de litis expensis iudicari hodie v. g. Si Actor Amfalsius cum Schriffalsio reo contendat, & ille in expensas condemnatus sit; at forum contractus saltem ratione partium presentium competens, constituere iudicium *C. 1. §. contra-hentes d. for. compet. in 6.*

**OBST. (2)** *C. 1. §. Nec etiam d. for. compet. in 6. RESP.* Metropolitanus Episcopi potestatem magis esse circumscriptam, quam eorum, qui secularem jurisdictionem exercent, *c. 7. IX. qu. 3.* idque ex paritate sacri ordinis deduci *a. c. in novo dist. 21.* Unde apud Remensem Archi-Episcopum ne quidem ex appellatione devoluta exerceri jurisdictionem *§. neque d. c. 1. d. for. compet. in 6.* evincit. Carleval. *c. l.* qui hoc caput de casu, quo non in Metropoli, sed in loco suffraganei promissa salarii solutio, adeoque deficit in Metropoli locus contractus, explicat; Cum *§. subsequ.* Contractantes demum de promissione in Metropoli facta agant, cui *§. nec etiam* præmittitur, qui diversum haud improbabiler casum exprimere debet.

CON-

CONTROV. III.

Rebus Ecclesiae quadraginta Annis  
 citra quadriennii adjectionem  
 praescribitur.

Quoniam longissima 40. annorum praescriptione actiones extingui & possessoribus plenissimam securitatem tribui voluit Anastasius in *l. 4. C. d. praescript. 30. l. 40. ann. j. l. f. C. d. praescript. long. temp.* idemque hoc temporis lapsu munitos ullam penitus actionem vel molestiam aut quamlibet inquietudinem formidare vetuit *l. f. C. fund. patrim.* Justinianus vero Imper. in rebus Ecclesiae immobilibus illud 40. annorum spatium loco centenariae praescriptionis surrogavit, ut eodem lites extinguerentur. *Nov. III. 131. c. 6. j. Nov. 9. Praterea c. 6. X. d. praescript.* in istis Ecclesiae rebus quadragenali praescriptione omnem prorsus actionem excludendam statuit post tam diuturni temporis tractum remedia laesionum corrigendarum deficere. *a. d. Nov. 9.* adeoque 40. annis quadriennium adjiciendum esse non puto. *(a) conf. P. 2. C. El. 9. (b)* nisi observantia constans aliud receperit. *a. l. 37. ff. d. leg.* Cui accedit aequitas, a Vicaria rerum ecclesiasticarum administratione per alios facillime hinc orta laesione, desumpta.

(a) Diff. *BALB. d. praescript. pr. part. quint. princ. q. 2. n. 1. p. 354. COVARR. p. 3. Relect. C. Possessor. m. f. d. R. 7. in 6. §. 3. n. 4. Conf. MATH. d. Affict. dec. 329. n. 6.*

Conf.

Conf. SALICET. ad Auth. Quas actiones C. d. sacros. Eccles.  
n. 8 BERLICH. P. 2. Concl. 10. n. 6. seq. Conf. JASON.  
Conr. 209. n. 2.

(b) Vide Consult. Sax. P. 1. qu. 48. n. 3. seqq. BERL. c. l. n. 10.  
ZANGER. d. Except. P. 3. c. 10. n. 222. 225.

**OBST. (1)** C. 1. d. in integr. restit. 6. Ubi dixeris rationabilem causam, quæ superiorem ad indulgendum restitutionis beneficium invitare queat, ignorantiam favoremque Ecclesiæ complecti, cum res ecclesiasticæ aliorum administrationi veniant committendæ, quorum negligentia Ecclesiæ obesse non debet C. 76. d. R. 7. 6. RESP. Administrationem, quæ sit per alios, in favorem ecclesiæ præscriptionum tempora ad 40. annos extendisse, eandem verò restitutioni in infinitum concedendæ viam haud aperire, ne lites nunquam emoriantur. Nov. iii. pr. j. l. 3. C. d. præscript. 30. vel. 40. ann. l. f. C. in quib. caus. in integr. rest. Conf. Carpz. p. 2. Const. El. 9. dj. 2.

**OBST. (2)** Clement. un. d. rest. in integr. indicans, Ecclesiam adversus lapsum temporis, in quo se læsam esse affirmat, in integrum restitutionem petere posse. RESP. Totius capitis sententiam ad breviores longissimo tempore præscriptiones respicere. Conf. C. 1. d. in integr. rest. 6. l. 7. §. u. ff. d. minor.

#### CONTROV. IV.

✕ Patris Consensus pro impubere filio, ad sponsalia celebranda, interpositus, puberi facti & renitenti non præjudicat.

Cum

CUM Sponsalia, sicut nuptiæ, consensu contrahentium fiant *l. 11. ff. d. sponsal.* sine quo eadem valide constitui æquitati, ob spem individua vitæ consuetudinis & necessitatem mutui affectus, repugnat. *a. c. 7. 8. X. d. despons. Impub. c. un. XXX. qu. 2. l. 11. C. d. repud.* æquo durior est Constitutio Pontificis in *c. 1. X. d. despons. Impub.* quæ permittit Patri filium nondum adultum (voluntas cujus discerni non potest) cui vult matrimonio tradere, jubetque filium, postquam ad perfectam ætatem pervenerit, omnino hoc adimplere; neque est, quod putes deficientem in Impubere consensum à patre suppleri, vel pro eodem haberi, nam in tanti momenti negotiis & obligatione personæ non auctoritas aliorum, sed voluntas ejus, de cujus conjunctione tractatur, spectanda est. *a. l. 8. C. de nupt. j. l. 14. ff. d. Sponsal. C. 4. X. d. despons. Impub.*

Diff. *CUJAC. ad c. 1. X. d. despons. Impub.*

Conf. *ZIEGLER ad Inst. Jur. Can. L. 2. t. 10. §. 15. verb. nec ipsi.*  
 Conf. *DEDEKEN. Conf. V. 3. l. 1. sect. 3. p. 86.*  
*RHET. Inst. Jur. Publ. L. 1. t. 21. §. 7*

**OBST. (1)** Quod tutor nomine pupilli, pater nomine filii omnia in infantia rectè agat *a. l. 5. ff. d. R. 7. §. 9. J. d. inutil. stipul. RESP* circa administrationem bonorum, non obligationem personæ eam, ad quam essentialiter personarum contrahentium consensus requiritur *l. 11. ff. d. sponsal. l. 22. ff. d. rit. nupt. j. l. 30. ff. eod.*

**OBST. (2)** *C. 1. X. d. despons. Impuber. RESP.* inter Palæas hæc Constitutio jam in decreto relata est *c. 2. caus. 31. q. 2.* Unde eam pro genuina & æqua agnoscere non debuissent compilatores Decretalium.

B

OBST.

**O.B.S.T.** (3) *C. 2. X. eod.* quod pro pacis bono possit talis fieri desponsatio. *RESP.* ob praesumptum liberorum consensum non declarantur nulla tum sponsalia, magna tamen dissensus causa urgente, etiam de necessitate consummandi tale matrimonium dubitari potest, idque non regulare est, sed tantum inter personas illustres obtinet. *Rhet. c. l.*

## CONTROV. V.

### \* In Testamento Parentum inter Liberos Clausula Codicillaris subintelligitur.

**I**n testamento inter liberos Clausula Codicillaris subintelligitur secundum non iniquam *a. l. 38. ff. d. fideic. libert.* recepramque in Praxi sententiam. (a) Hujus enim voluntatis favor efficit, ut ab intestato etiam ad successionem perveniens rogatus esse censeatur de voluntate defuncti adimplenda, idque non inane est, cum non raro instituti à parentibus liberi ante testatorem decedant, atque sic inutile testamentum reddant, tum verò vel legata extraneis coram testibus secundum *Nov. 107. c. 2.* relicta vel data filio (e.g. qui in favorem fratrum agnatorumque hereditati legitime renunciavit) fideicommissa succedentes ab intestato negligere æquum non est. *fac. l. 16. l. f. C. famil. hercisci.* (b) *Conf. Dec. El. 46.*

(a) *CARPZ. Dec. 155. n. 11. ubi praj. HARTM. PIST. Part. 4. q. 9. n. 19. DAUTH. de testam. t. d. Institut. hered. n. 355. RICHT. Dec. 63. n. 13. JUL. CLAR. sent. lib. 3. S. testa-*



testamentum qu. 8. n. 8. ANT. FAB. in C. lib. 6. tit. 5  
d. 7. n. 4.

(b) Diff. STRYK. d. claus. Codicill. n. 63. seqq.

Conf. CARPZ. p. 3. C. 4. def. 22. n. 7.

**OBST.** (1) Quod clausulae codicillaris adjectio sit facti & non  
praesumatur a. l. 7. § f. ff. d. cur. fur. RESP. nisi aequitas  
a. d. l. 38. ff. d. fideic. à consuetudine approbata aliud praesumatur,  
nam consuetudo habet vim legis, etiam legum interpretativa l. 37. ff. d. leg.

**OBST.** (2) Quod inutilis sit subintellecta haec clausula: nam  
testamentum hoc dispositio N. 107. C. 1. sustinet, idque pauciores,  
quam Codicillus, solennitates desiderat. RESP. Testamentum vivo  
haerede instituto per LL. conservari, non autem si ejus morte  
testamentum evanuerit, sustinendum igitur est hoc casu vi clausulae  
Codicillaris a. l. 29. §. 1. ff. qui testam. fac. Ceterum natura  
Codicillorum & fideicommissorum non tantum in remissa  
solennitate testium, sed etiam in eo, quod haeredibus  
testamentariis deficientibus ab intestato venientes  
voluntatem defuncti adimplere tenentur, consistit a. § 3. Inst. quib. mod. testam.  
infirm. & mulieres in Codicillis non testamentis idoneae  
sunt testes l. 20. §. 6. ff. qui testam. fac. poss.

## CONTROV. VI.

\*Emtor etiam si res emta casu perierit, ultra dimidium laesus, id quod

B 2 ultra

ultra justum pretium dedit à venditore, repetere potest.

Quod si venditor emtorem ultra dimidium læserit & vendita penes emtorem casu perierit, adversus venditorem emtor experiri haud prohibetur ad restituendum id, quod ultra justum pretium consecutus est. Nam emtor de damno vitando certat, de lucro captando venditor, nec imputari quicquam potest emtori, quod rem casu amisit, proinde casuali interitu ab obligatione ad rem restituendam liberatus est. *l. 23. ff. d. V. O.* neque tamen desit venditoris obligatio, qui cum rescissionem contractus eligere nequit, ad ejus, quod ultra justum pretium accepit, restitutionem obligatus est: nam in alternativa obligatione unius rei interitu perit electio. *l. 2. §. 3. ff. d. eo quod cert. loc. l. 95. pr. & §. 1. ff. d. solut. (a)*

(a) Diff. *SALICET. ad l. 2. C. d. resc. vend. n. 18. GOMEZ. Var. Ref. Tom. 2. c. 2. n. 22.*

Conf. *RICHTER. Dec 99. n. 125. COVARR. Var. Ref. lib. 2. c. 4. f. LAUTERB. ad π. T. d. Rescindend. vend. tb. 30.*

**OBST. (1.)** quod res vendita principaliter sit in obligatione, cumque eam restitui vult venditor, nec restitui potest ab emtore, liberatus sit venditor interitu casuali. *a. l. 23. ff. d. V. O. & a. l. 161. ff. d. R. 7. RESP.* Non stare per emtorem, quo minus res vendita possit restitui, adeoque illi casualem interitum non nocere, quin possit restitutionem ejus, quod excedit justum pretium, petere; siquidem habet ex contractu emti venditi venditorem obligatum

tum ad restituendum quod excedit justum pretium vel rescindendum contractum, posterius cum non potest eligi, prius petere licebit. *a. l. 34 §. 6. ff. de contrab. emt.*

**OBST.** (2.) Quod *l. 12. §. 1. ff. d. Jur. dot.* maritum etiam post interitum casualem ad pretii restitutionem obstringat. Sed *RESP.* decidendi ratio est in eo, quod maritus, servi dotalis æstimati dominus, periculum vi æstimationis ferre tenetur. *l. 10. ff. eod.* adeoque plane non est alternativa obligatio in eo, quod rem, vel, propter periculum ferendum, ejus vice æstimationem solvere tenetur; nos verò versamur in obligatione alternativa, ubi utrumque vel restitutio pretii iniqui vel resolutio contractus est, æquè principaliter in obligatione *l. 2. C. d. rescind. vend. c. 3. X. d. emt. vend.* adeoque cum unum non potest præstari, alterum præstandum est. *l. 34. §. 6. ff. d. contrab. emt.*

## CONTROV. VII.

\* Jus superficiarium restitutum, quod perit, ædificiò, reviviscit.

Quoniam superficiario utilis suæ superficiæ vindicatio *l. 73. 74. 75. ff. d. R. V. j. l. 16. §. f. ff. d. pign. act.* nec non possessionis per interdictum uti possidetis defensio *l. 3. §. 7. ff. uti possid.* ut & facultas imponendi servitutem superficiæ *l. 1. §. 6. & §. f. ff. d. superfic.* cum superficiem alienandi potestate, tribuitur *l. 1. §. 7. ff. eod.* firmiter esse

superficiarii jus, quam ut incendio extinctum ædificium ab ipso restitui nequeat, existimandum. *a. l. 34. §. f. ff. d. Usufr.*

Diff. DONELL. ENUCL. l. 9. c. 18.

Conf. JASON ad l. 3. §. 3. ff. d. Nov. op. nunc. n. 2. SIM. VAN LEWEN censur. forens. l. 2. c. 15. n. 30. BARTHOL. ad l. f. ff. d. superficies. STRUV. Jurispr. Rom. Germ. l. 2. T. 12. §. 22.

**OBST. (1)** Quod ususfructus ita intereat §. 3. 7. d. usufr. RESP. Dominium penitus hic sine fructu est durante usufructu, non æque superficies. *a. l. 15. ff. qui pot. in pign.* maximè cum ne quidem reales servitutes cum ædificio intereat l. 29 §. 2 ff. d. S. P. II Et superficiario proprio nomine detur novi operis nunciatio l. 3. §. 3. ff. d. Nov. op. Nunc.

**OBST. (2)** Quod sit saltem conductio, quæ nec possessionem nec dominium transferat. *a. l. 39. ff. loc. RESP. 1.* quod non semper sit conductio, præcipuè si per emtionem, tanquam titulum per se ad transferendum dominium habilem, superficies constituatur. RESP. 2. non esse hanc locationem simplicem, sed qualificatam, qua, cum id actum esse apparet, transfertur utile dominium, l. 1. §. 3. ff. d. superficie. j. l. 1. §. 1. ff. si ag. vectig. item possessio d. l. 3. §. 7. ff. uti possid.

**OBST. (3)** Quod saltem supra solum, non in solo ipso jus competat. RESP. Quoties certum tempus expressum non est, competit hoc jus in perpetuum *a. l. 44. §. 1. ff. d. O. & A.* Quandoquidem jus superficiarium est jus habendi

bendi aliquid supra solum alienum, quod jus non interit cum ædificio, licet interim cesset ejus intuitu solarium *l. 9. §. 2. ff. d. damn. infect.* hoc enim præstatum propter superficiem, qua quis actu fruitur, ab eo, qui eandem actum habet.

## CONTROV. VIII.

### ✕ Gener pro Socero post mortem uxoris cum cautione rati non admittitur.

**D**issoluta per mortem uxoris affinitate quondam Gener pro socero, tanquam quasi Procurator, cum cautione rati admittendus non est, nam hic affinitatis effectus civilis una cum ipso affinitatis vinculo, ceu causa sua, exspirasse videtur. *a. l. 35. ff. d. Procurat. j. l. 3. §. 1. ff. d. postul. fac. l. 11. C. d. furt. l. 3. C. d. donat. inr. vir. & ux. l. 8. ff. d. cond. caus. dat. caus. non secur. (a)*

(a) Diff. *CARPZ. Proc. T. 5. act. 6. n. 46. seqq.*

Conf. *BERLICH. P. 1. Concl. 14. n. 51. MARTIN. ad O. P. S. T. 7. §. wir lassen n. 55. STRYK. Il. Mod. π. ad l. 3. ff. T. 3. §. 47. Conf LAUTERB. d. sing. affn. jur. Piri. 1. c. 6.*

**OBST. (1)** Quod post mortem conjugis duret adhuc affectio inter socerum & generum quondam, illam verò esse rationem admisi pro Socero generi, eadem verò ratio idem

idem jus desiderat *l. 32. ff. ad L. Aquil. RESP.* Non memoria pristina affectionis sed ipsa affinitas est causa præsumpti affectus, ea igitur finita paulatim affectus quoque diminutus censetur, tanquam hujus præsumpti mandati ratio, maximè cum quondam novercam odiosa furti actione conveniri visum sit *l. 11. C. d. furt.* & genero quondam facta donatio pro donatione inter Virum & uxorem facta non habeatur *d. l. 3. C. d. don. int. Vir. & ux.*

**OBST.** (2) Quod etiam dissoluta affinitate duret prohibitio nuptiarum §. 6. 7. *J. d. nupt. RESP.* Hic effectus à consensu matrimoniali semel interposito dependet, & est perpetuus, atque hac nititur ratione, quod hic accessio ad carnem alterius naturali modo prohibitionem inducit *c. 5. 6. f. X. de eo qui cogn. consangu. ux.*

**OBST.** (3) Quod etiam dissoluta affinitate socer fruitur beneficio competentiae *l. 15. §. f. ff. solut. matrim.* & correlatorum eadem est ratio *l. 20. ff. eod. RESP.* 1. Exceptio confirmat regulam in *l. 3. §. 1. ff. d. postul. RESP.* 2. Hoc beneficium non dependet ab affinitate, sed concessione personæ semel facta; ubi causa impulsiva est affinitas, finalis verò, ne intuitu dotis acceptæ socer in extremam inopiam conjiciatur *l. 173. ff. d. R. J.* & honor socero exhibitus ilicò cum filii morte expiret, ubi recens est affinitatis memoria, existente casu quod dos repetenda est *fac. pr. Inst. d. Nupt.*

CON-

CONTROV. IX.

**Jure Saxonico Elect. Consensus à Curatore Mulieris ex intervallo interpositus, negotii validitati non nocet.**

**A**uctoritas Curatoris mulieribus in Contractibus earum, Jure Sax. El. necessaria, tantæ quidem est necessitatis, ut absque illa negotium nullitate laboret. *P. 2. Const. El. 15. j. l. 5. C. d. leg. l. 3. C. d. in Integr. rest. min.* (a) nihilominus, ob judicium animi in fœminis quam pupillis fortius, ista auctoritas consensum, qui in causis minorum à Curatoribus interponitur, quodammodo imitatur *a. l. 8. C. d. Nupt. & consilii inopiam in eisdem supplet d. C. proinde Curatoris hujus approbationem, qua obligationi constituendæ auctor est, a. l. 8. ff. d. transact. & Curatore absente & ex intervallo rectè fieri probabile est a. l. f. C. ad Sct. Maced. l. 101. ff. d. V. O. (b) ita resp. F. J. L. Mens. Jul. A. 1702. ad Consult. N. P. Jur. Pr. 30 D.*

(a) *CARPZ. P. 2. C. 15. d. 1. COLER. Dec. 67. n. 21.*

(b) *Conf. ANT. HERING. d. fidejuss. c. 7. n. 421. MATTH. WESENB. Paratit. ad π. t. d. aut. tut. n. 5. ibique HAHN. verb. integratur. Conf. BALDUS ad l. 25. §. jussum 4. ff. d. acq. vel om. hered.*

C

*hered.* Diff. MOLLER. *ad P. 2. C. El. 15. n. 34.*  
*CARPZ. add. C. def. 30. BERLICH. P. 2. Concl.*  
*18. n. 22.*

**OBST. (1)** *l. 9. §. 5. ff. d. aut. tut. §. 2. I eod. P. 2. C. El. 15. 16. RESP.* Auctoritatis vocabulum hic approbationem præcisè necessariam exprimit. *a. l. 8. ff. d. transact. l. 11. ff. d. acquir. vel om. poss. j. l. 3 ff. d. aut. tut.* non verò eandem illius interponendæ formam definit, cum sceminæ consilio adjuvandæ propius ad minores quam pupillos accedant *a. l. 8. C. d. nupt. & cura mulierum nullam administrationem completatur.*

**OBST. (2)** Voc. *Vortwissen P. 2. C. El. 15. RESP.* Distingv. inter perfectionem negotii naturalem & civilem *a. l. 25. §. 4. ff. d. acquir. vel om. hered.* hanc non illam præcedere debet scientia & consilii suggestio, alias infiniti mulierum contractus & impedirentur & irriti redderentur *a. l. 37. ff. d. leg. j. l. 24. §. 1. ff. d. min.*

## CONTROV. X.

Actio Legis Aquiliæ ad majorem,  
 quam ex natura contractus de-  
 betur, culpæ præstationem non  
 datur.

Qui-



506

u

Quicumque ex natura contractus ad lata vel levis culpæ præstationem tantum devincti sunt, frustra Legis Aquiliæ actione ad damnum illic levi hic levisima culpa datum resarciendum conveniuntur; nam inventa non est Legis Aquiliæ actio, ut ad certum culpæ gradum obligatos arctius obstringeret. *a. l. 11. ff. d. peric. & commod. rei vend.* Sed læsis vel alia actione destitutis, vel hanc arbitrio suo eligentibus, subveniret. *v. l. 1. l. 2. ff. ad Leg. Aquil.* Neque enim applicanda est memorata actio, ubi nullum datum est damnum, nullum verò dedisse videtur, qui ex contractu obligatus id fecit, quod jure suo facere potuit. *a. l. 151. ff. d. R. J. l. 24. §. f. ff. d. damn. infect.* indirectè ad levisimæ culpæ præstationem etiam non est obstringendus, qui ab eadem directè immunis est. *a. l. 29. ff. d. R. J. §. f. J. d. Societat. (a)*

100

(a) *Diff. BURGUND. Comment. d. peric. & culp. c. 13. n. 6. 7.*

*Conf. SCOTAN. ad π. D. 28. tb. 3. LAUTERB. Concl. for. Ex. 19. tb. 11.*

**OBST. (1)** *l. 44. ff. ad L. Aquil. RESP.* Levissimam culpam in L. Aquilia attendi, nisi contractus natura eam remittat; tum enim nulla admittitur videtur culpa. *a. l. 13. §. 1. ff. d. injur. cum contra jus factum non sit. l. 5. §. 1 ff. ad L. Aquil. j. l. 151. ff. d. R. J.*

**OBST. (2.)** *l. 5. §. f. l. 27. §. 11. ff. ad L. Aquil. RESP.* Deficiente locati actione locum habet actio L. Aquiliæ, si extra naturam contractus concurrat culpa, quæ in delictum incidit. e. g. si oculum exclusit magister opifi-

C 2



opificii: nam ex contractu locati saltem modica verberatio permiffa, item *d l 27*. culpæ arguit in eligendo ministerio Dominum, quæ culpa impunis effe non debet, licet ipfe contra contractum locationis conductionis non fecerit: nam eff occasio illius contractus admiffa.

S. D. G.







Leipzig, Diss., 1711


ULB Halle 3  
004 708 792



f  
Sb.







8  
B. C. D. 1711, 9

CONTROVERSIARUM  
JURIS  
SELECTARUM  
DECADEM I.

INDULTU  
ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS  
GODFRIDUS LUDOVICUS  
MENCKEN, D.

ET  
JOH. FRIEDER. LAMPE,  
LIPS.

IN AUDITORIO ICTORUM  
DEFENDENT

AD D. XX. AUGUST. A. MDCCXI.

---

LIPSIÆ,  
LITERIS IMMANUELIS TITII.